



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque

Coster, Franciscus

Antverpiæ, 1587

22 De pulsu ad salutationem Angelicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

& homo. Duo enim erant summa officia conferenda: alterum viro, esse Regem orbis: alterum fœmine, esse orbis Reginam: illud habet Christus, hoc tibi est concessum.

Et benedictus fructus ventris tui Iesus. Hoc est, Filius tuus est verus, perfectusq. homo: idem est filius Dei, super omnia Deus benedict⁹ in sæcula, cui innumeris nominibus, & præsertim hoc nomine à nobis laus, gratiarū actio, & benedictio debetur, quòd te matrem suam in Dominam nobis, Patronam, & Aduocatam contulerit.

Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen. Meritò rogare potes: quia vt Domina, curā nostri geris: & non difficilè impetrabis: quia filius est quem rogas. Oramus autem te, vt per te bona omnia impetremus, per quam bonorum omnium auctorem accepimus.

CAPVT XXII.

DE PVLSV AD SALV-
tationem Angelicam.

SIGNVM campana ter interdium dari solet ad orationē: mane, meridiē, & vesperi: vt meminerint Christiani, si sæpius non possint, saltem tribus istis tēporibus esse orandum, iuxta Psalmum, *Vespere, mane, & meridiē narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocē meā.* Mane quidē initio diei, futuras actiones suas ad Dei gloriam referendo. Meridiē verò, in medio diei cursu, animam lassam breui oratione refi-

refi-

reficiendo, sicut reficitur corpus cibo. Vespere autem, ab anima sua sanctorum omnium rationem exigendo.

His etiã tēporibus saluatur B. Virgo Maria, vt per eximia beneficia iis horis collata, quibus illa adfuit, misericordiam nobis impetrare dignetur à Filio. Nã pulso matutino renouatur memoria resurrectionis Christi, qui rediuuus ex mortuis, statim sanctissimæ matris suæ apparuit. Pulsus meridianus datur in recordationē Passionis Christi, cui Virgo interfuit. Vespertinus autem, in memoriam incarnationis Christi in utero Virginis peractæ.

Dum pulsus isti audiūtur, meridiē quidem recitetur oratio Dominica cum Angelica Salutatione: mane verò & vespere, tertio repetatur Angelica Salutatio. Qui literas norunt, meridiē recitare possent hanc orationē: *Christus factus est pro nobis obediens usq. ad mortē, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen.*

Verf. Adoramus te Christe & benedicimus tibi.
Resp. Quia per crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Respice quesumus Domine super hanc familiã tuã, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocēiũ, & crucis subire tormentum: qui tecum viuit & regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Mane autem & vesperi hos tres versiculos, adiuncta singulis Salutatione Angelica.

Angl-

Angelus Domini nunciauit Mariæ, & cōcepit de Spiritu sancto. Aue Maria.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Aue Maria.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Aue Maria.

Quidam etiam hos versus ad pulsum meridianum recitant, nec incōmodè. Nā licet fortasse neq. mane, neq. meridie incarnatus sit Dñs, sed vespere: mane autē surrexit à mortuis, & passus sit meridie: hoc tamen triplici pulsu salutatur Virgo Maria, ob triplicia mysteria, quibus illa à sibi deuotis solet honorari: nempe, gaudiorum, quæ eceperunt in Christi incarnatione: dolorum, qui summi fuerunt in Dominica passione: gloriosa, quæ initium habuerunt in Christi resurrectione.

CAPVT XXIII.

MODVS VESPERI INCUMBENDI.

SICVT nocturna quies corporis valetudini vel prodest, vel officit; ita ad diurnam animi cōpositionem magni refert, quomodo vesperi incumbens, nocte quiescēs, mane euigilans, atque ex lecto confurgens te habeas. Et quia matutina animi collectio, ferè ex vespertino tempore pendere solet; ideo de isto priori loco dicitur.

Primum igitur ad hominis vitā rectè formandam vehemēter iuuat, vt quoad eius fieri potest, certum sit tempus & constans vespere

incumb-